

www.e-rara.ch

Guidonis Ferrarii Opusculorum collectio

Ferrari, Guido

Lugani, 1777

Biblioteca Salita dei Frati, Lugano

Shelf Mark: BSF 4 Ia 3

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12430>

Serbellonius.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SERBELLONTUS.

Serbellonius Mediolanensis. Hic multo illustrior est habitus, quod summum militiæ gradum est consecutus, & Germanicis exercitibus præfuit, quamvis alienæ esset nationis, & ejus ætas incidisset in ea tempora, quibus multi florebant viri in Germania cum claritate, tum usu belli præstantes.

Hujus de virtutibus, vitæque difficile est dicere, quod de se vulgo prædicari volebat, neque in ore esse hominum studebat. Satagens bene facere, quæ fortiter gessisset non præferebat. Id non magis natura, quam virtute adeptus est; aberat enim ab insolentia gloriæ, eratque ejus indoles moderata, & gravis.

Nobilissima stirpe natus, præterea opibus, & affinitatibus flore inter ceteras Italiæ, otio, rerumque copia animum non debilitavit. Excitabatur avorum imaginibus, qui magnis rebus bello gestis se, familiamque suam gloria honoraverunt: quorum exemplo peradolescens militiæ dare operam cepit. Ex illo apud suam legionem, aut in exercitibus perpetuo fuit; liberam vacationem numquam petiit, a militari consuetudine uspiam non discessit. Quo factum est, ut quinquaginta, eoque amplius, annos in militari perseverans disciplina integritatem, & virtutem in omnibus declararet rebus.

Difficilius potest cognosci, quantus hic bello vir fuerit, nisi proposita eorum temporum historia, quibus præfuit exercitibus. Itaque plura dicenda sunt, quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. Tantummodo summas at-

rin-

tingam, ne non imaginem consuetudinis, atque vitæ videar Serbellonii, sed historiam bellicam scribere.

Bello Gallico & Turcico, quod, sub ejus imperii finem, Carolo VI. Augusto fuit, militavit; etiam antea Mæsiaco bello, & Siculo. Augusto fati functo cum inopinato omnes fere Europæ Reges contra M. Theresiam Caroli filiam arma capissent, Kevenullerius, raræ fidei, & virtutis imperator contra Gallos, & Bavaricos missus ad recipiendam Austriam superiorem, plurimum Serbellonio est usus, etsi tum erat solum tribunus: itaque illum plerumque præfidiis, & stationibus præposuit, quæ copiis hostium suberant; qua in re sic se gessit, ut illis numquam sui lædendi locum daret, ipse multa illis damna inferret.

Brevi tamen militari gradu auctus, in numero Legatorum eidem intulit bello, ingressusque initio Bavoriam acrius persecutus est hostes; & quantum in illo fuit, suos a populando, grassandoque continuit, qua labe ceteri non caruerunt. Multos, ut notum est, Bavaricum bellum casus excepit; nam pluries capta, pluries etiam debuit illa regio dimitti. Tamen postremo hujus consilio, & manu cum apud Pfaffenhovium profligati hostes fuissent, eo prælio Bathyanio, qui id bellum administrabat imperator, iterum patuit in interiorem Bavoriam aditus, omnisque est capta.

Hinc submissus in Italiam contra Hispanos, & Gallos, qui potiti Insubria fuerant, apud Placentiam, & ad Tidonem fluvium conflixit, & , quamvis vulnus accepisset, persecutus est victoriam. Illi magnis duabus cladibus affecti satis habuerunt, si tantorum reliquias exercituum, cum quibus descenderant, per Liguriam in Gallias deportarent.

Consecuta brevi est pax, neque ita post multo bellum tertium Borussicum exarsit. Fridericus Rex Saxonia capta impendebat Boemiæ; neque minus ex Silesia irruptionem comparabat

bat Schwerinius multorum annorum , & magnæ bellicæ virtutis imperator . Huic postremo objectus Piccolomineus fuerat , fortis , magnique consilii vir ; atque illi Magister Equitum Serbellonius datus . Hi pari virtute resisterunt , hostesque prohibuerunt , qui , quo tempore ad oppidum Lobosium in Boemia Rex procurrit , & pugnavit , conabantur omnibus modis prorumpere . Paulo post Piccolomineo repente mortuo hic unus exercitui præfuit . Accidit tum irruptio illa Borussica ex omnibus in Boemiam partibus ; quo momento temporis legiones , quæ sub Serbellonio erant , si non sunt oppressæ , singulari ejus diligentia tributum est . Undique enim omnes Regis exercitus se effuderant , ceterisque disiectis , & fugatis , Schwerinius , & Beverenius Princeps magna multitudine , & celeritate contra hunc contendebant . Sed tantum abfuit , ut circumvenire possent , aut carpere , ut immo incolumem ad unum exercitum ad Daunium , uti fuerat imperatum , deduceret .

Ea res Austriæ salutis fuit ; nam post Pragense adversum prælium reliquiis fugientium , novisque subsidiis hoc aucto exercitu pugnatum est ad Cotemicium , & tum primum Austriaci videre magnanimum Regem , qui habebatur invictus , terga vertere gravi prælio victum . Sine dubio ejus victoriæ laus debetur Daunio , post illum etiam Serbellonio . Vehementi enim impetu cum Rex pluries incursum fecisset , & anceps aliquandiu videretur fortuna , suis præmetuens imperator decreverat recipere in acie exercitum ; eaque de re bis jam mandata dederat . Omnibus ægre ferentibus exploratam prope victoriam de manu detrahi , unus hic intercessit , cui maximam fidem Daunius habebat , eique persuasit , copias relictas in subsidiis maximum ad victoriam asferre momentum posse , si Nadastio , qui eas ducebat , darentur mandata , ut adversarios a latere adoriretur , ut accidit . Itaque Serbellonii etiam consilio fuit Rex victus ; neque minimo illi victoria stetit , iterum , neque id leviter , conlauciato ,

Illo ex vulnere cum se recepisset, Zitaviam ad Carolum Lotharingum Principem, qui præerat exercitui, profectus omnibus rebus, quæ in Lusatia, & Silesia prospere cesserunt, interfuit. Post Suidnicium expugnatum cum de rerum summa haberetur consilium, idem auctor fuit, ut extructis munitio- nibus, quibus, quæ capta fuerant protegerentur castra ibi stativa fierent, nam hyems ingravescibat. Poterat hoc modo facile altero anno bellum confici, cum Austriacorum copiae integræ, & incolumes essent, præterea alacriores ob res antea gestas; contra Regiæ præliis, magnis itineribus, & tot expeditionibus diminutæ.

Sed hæc non valuit sententia; itaque tam prosperas res confecta est inopinata, & subita commutatio, unaque apud Lissam dies omnes intervertit fortunas. Ne exercitum gravior post pugnam interciperet casus, uti Rex conabatur, Serbellonius effecit: relictus enim in novissimo agmine, impetum insequentium prudentissime declinavit, unoque tempore consuluit, ut exercitui tutus receptus esset.

Refectis per hyemem copiis fidenti animo potuit Daunius vere ineunte in Moraviam proficisci, quo totum hostes bellum contulerant. Tum ille bellicosissimum Regem ab Olomucii oppugnatione dejecit; ex omni Moravia, Boemiaque repulit; postremo in Lusatia inopinato castris exiit ad Hochirchiam, & clade affecit. Tali tempore Serbellonius coactis in Boemia legionibus, quæ Germanico exercitui designatæ fuerant, profectus cum his auxiliis pervenerat ad Fridericum Bipontanum Principem, qui illi præerat exercitui; cuique datus in consilium fuerat. Itaque illius ductu bellum eo anno (1) administravit, magnique ejus opera æstimata est.

Inductæ in Saxoniam tum legiones, hostium manus con-

nantes prohibere propulsæ; præsidia ex oppidis deturbata; Pirna, & Sonnestenium, arces sitæ in saltibus, expugnatae; omnis denique regio, atque itinera patefacta Dresdam usque. Ad eam obsidendam uterque contenderat & Daunii, & Bipontani exercitus. Cum jam in eo essent, ut vineas agere, & potiri possent, unius viri vehemens animus restitit.

In Smittavio enim, qui urbem defendebat, tanta fuit ferocia, ut, cum ad illum Daunius misisset expostulatum, quod partem urbis nobilissimæ subito dedisset incendio, ille extremas belli rationes secuturum, & in flammis periturum se potius dixerit, si Daunius oppugnaret, quam se dederet, aut loco cederet: non enim esse suæ virtutis, & fidei urbem tantam a Rege acceptam adversariis tradere. Hujus pertinaciæ, & Saxonicae Regiæ Familiæ, quæ urbe concludebatur, periculo Daunius cessit. Gravius fiebat anni tempus; igitur ille in Boemiæ fines recessit, Bipontanus in Franconiam plerisque copiis reductis Viennam profectus est, & Serbellonio reliquit exercitum.

Nunquam illo plus tempore diligentia imperatoris necessaria fuit. Borrussi enim nunquam non impigri, acres, citi, atque intenti ad gerendam rem, eductis cohortibus, quæ in Hannoveriano erant exercitu, junctisque eorum copiis, quæ in Turingia, finitimisque regionibus præsidia habebant, Knoblochio fidente, aliisque audacissimis ducibus, repentina irruptione Erfurtium usque procurrerant.

Erant in angustiis res, nam Germanicæ legiones longe inter se discesserant. In re subita consilium atque animus Serbellonio non defuit: cohortesque ex proximis hybernis eductas cum emisisset, illi celeri receptu evaserunt, diversique in Hassiam, & Saxoniam dilapsi sunt. Quorum tamen importunitatem, & audaciam statuit impune non pati. Non multos enim post dies, expeditis cohortibus in Hassiam immissis Hirsch-

feldium, & Smalcaldam multavit, Erfurtianam injuriam pari facto delevit,

Ver appropinquabat (1), & consilio communicato inter Fœderatos convenerat, ut uno tempore diversis partibus Regem universi peterent. Ad eam rem Daunius, & Harfchius cum duobus exercitibus in Silesiam se inferrent; eodem cum Moscis ex Polonia Fermerius contenderet, junctisque exercitibus circumvenirent Regem, & ejus in Regnum insequerentur: at Bipontanus Princeps Germanicum exercitum auctum legionibus Austriacis in Saxoniam deduceret: interim Brolius, & Contadius Gallici imperatores ad Rhenum, & in Vestfalia irruerent in Hannoverianos Regis fœderatos.

Contra ea Rex consilii plenus, calliditate, & celeritate ingenii secundus nemini; quæ illi cogitassent conjiciens, statuit non expectandum, ut haberent eorum consilia maturitatem possent. Satis judicabat, si omni Saxoniam periculo liberaret, ex qua magnas ad bellum gerendum vires ducebat, non ægre reliquis postea se restitutum. Itaque Germanicum exercitum magis injuriæ obnoxium existimans in hunc vere appetente ex Saxonia Henricum suum germanum Fratrem immisit cum maximis, & exercitatissimis copiis; ex Hassia autem Ursium Catenfis (2) Tetrarchæ ducem cum aliquot legionibus jussit prorumpere, ut Germanicos deleteret.

Bipontano adversus horum exercitus minime tantum erat virium ad resistendum; neque eo secius impetum adversariorum prudenter sustinuit. Sed exiles res, etsi magnitudinem animi non frangebant, tamen audaciam imminuebant militum. Intercipiebantur præsidia; legiones in hybernis magnam partem etiam

(1) 1759.

(2) Cassel.

etiam dispositæ impediabantur; primæ hostibus objectæ cohortes multitudine pellebantur.

Serbellonius post Bipontani reditum iustis de causis, quas hic commemorare non est necesse, abstinuerat a consulendo; neque eo minus illum M. Theresia Augusta Imperatorem dixerat, hunc honorem virtuti tribuens fortissimi viri. Cum Norimbergam se recipiendo Germanicus pervenisset exercitus, neque ibi se tutum existimans Donavertiam cogitaret, eoque cocti panis copia, & reliqui conferrentur commeatus, ipse tum intervenit, persuasitque, resumpto ut spiritu obviam iretur hostibus, qui non magis fortitudine, quam audacia solerent uri; & trepidationem adversariorum transferrent ad suam virtutem; his artibus, ut multa alia, hanc expeditionem administrari.

Tali consilio reparata est fortuna. Nam Hadichii, & Stolbergii, qui in hostes emissi sunt, magna virtute prostratis apud Erlangam, & disiectis Borussia prædiis, Urso autem in Virzburgensium finibus repulso ab alariis ducente Veczeio Tribuno, Henricus Princeps de receptu cogitare cæpit. Quam ob rem Germanicus potuit exercitus explicatius progredi, receptaque sunt oppida, quibus illi potiti fuerant; atque ea sunt consecuta, propter quæ ejus anni bellum secundâ gestum est fortunâ. Bipontanus enim in Saxoniam irrupit: Lipsia fuit capta, item pleræque Urbes provinciæ, Dresda in deditionem accepta; Saxonica Regia Familia periculo liberata; Urbs maxime nobilis, pro qua fuerat tam diu pugnatum, Regi suo restituta.

Erat fortuna tum Regis admodum diminuta: duabus enim magnis cladibus ad Zulicavium, & Cunersdorfum acceptis videbat Moscos, & Austriacos sibi fere exercitibus exuto imminere undique, & regiones irruptionibus patere. Cum omnium viderentur judicio res ejus prostratæ, adversam fortunam magnitudine animi superavit, primaque ad Saxoniam consilia con-

vertit, magni interesse existimans ad totius belli summam, si Dresdam retineret, (nondum enim cesserat) neque Saxonia Germanicum pateretur exercitum potiri. Igitur deducta copiarum parte, quam opposuerat Suecis, cum his auxiliis descendere celeriter in Saxoniam jubet Wunschium acrem, audacemque virum. Hic continuatis noctem, diemque itineribus pervenit: Intelligit statim de deditione Dresdæ; nihilominus Torgavium fertur, immissam in se manum adversariorum propellit; Lipsiam contendit, & subito impetu capit.

Interim cum majori militum numero supervenit Finckius submissus a Rege: cum his auxiliis exercitum conficiunt ad hominum millia decem, & octo, præsentique audacia propius Dresdam succedunt. Tanta alacritate, rerumque confidentia se gerebant, ut terrore urbem complerent trepidam, & fortunæ suæ metuentem, si in Borussorum recideret manus. Sed eorum ferocitatem Bipontanus & Serbellonius fregerunt, prælioque apud Meissium facto sic mulctarunt, ut commovere se non amplius auderent.

Hoc interposito tempore Rex incredibili animi, consiliique magnitudine resecto exercitu, iterum ad Moscos accesserat, quos grave anni tempus, & com meatuum inopia cogebat regredi; eosque infecutus usque eò, dum tota excederent Silesia, longiusque in Polonia hyberna constituerent, reportato celeriter exercitu advolavit in Saxoniam, contraque Daunium in acie stetit, qui Regis consilia præmetuens post Moscorum discessum, apud Dresdam transfulerat castra. Tantos ejus milites animos sumserant, ut Rex eorum fidens virtuti non dubitaret Daunium ipsummet, & Germanicum exercitum circumveniri, locorumque angustiis claudi posse.

Hoc capto consilio campum contra Daunium magnis munitionibus defendere instituit; simul delectos ex suo exercitu fortes viros, & peritos regionum dimittit, qui ancipites locos, fal-

salutisque præoccupent, quâ poterat adversariis receptus patere, undeque subvectiones commeatum ex Boemia deducebantur, finitimisque provinciis. Præ ceteris Finckium singularis consilii, & animi virum Gifubelii jusserat altitudines capere, ad eamque rem attribuerat millia hominum XX. Id si evenisset Germanico exercitui impediatur maxime opportunus in Boemiam receptus, gravique premebatur periculo Daunius.

Sed Regis consilia Serbellonii prudentia frustra fuerunt, qui absente Bipontano Principe Germanicum exercitum administrabat. Motis enim celeriter castris, duplicatisque itineribus prior Gifubelium tenuit. Hoc exitu antecapro, omnibusque anfractibus præclusis facta est Daunio copia rem pulcherrime conficiendi. Cum delectis enim, expeditisque cohortibus secreto castris egressus, quin Rex sentiret, admonitoque Serbellonio, ut uno tempore pro sua virtute rem gereret, Finckium uterque diversis partibus adorti sunt, qui Dohnam, Maxium, quæque adjacent, loca occupaverat, & illum ubique adverso impetu deturbarunt ex omni numero cæsis ad quinque millia. Reliquos protrusos in deteriora loca, & utrimque circumventos coegerunt arma ponere. Quo facto nullum adhuc nobilius est post Hocstetanum prælium; nam capta sunt militum bellicosissimorum millia quindecim cum Finkio, & majorum ordinum aliis quinquaginta ducibus, quorum crebro nomina legebantur in publicis litteris illustrata rebus fortiter gestis.

Postea Serbellonius hyberna in iis finibus constituit, quibus Saxoniam, & Franconiam posset ab hostium excursionibus defendere. Nam Borussi, etsi tot fuerant cladibus affecti, tantum aberat, ut minores se gererent, ut nihilo minus magnos spiritus præferrent, hyberna autem non ad quietem, aut luxuriam, sed ad res novas agitandas sumplerant intenti ad audendum, projectique ad omnes casus, si imprudentes, & impara-

paratos possent aggredi, aut provincias exhaurire, indeque omne comestuum genus exportare.

Quorum (1) accerrimos, & ferocissimos impetus Serbellonius perfregit, eorumque duces cepit; atque in his Froidvillium. Hic cum audacissima peditum expeditorum, & equitum manu volitabat in Saxoniae, & Thuringiae finibus: saltuosam praecipue regionem, ejusque provinciae, quam Voegtlandiam vocant, oppida vexabat, a quibus magnas praedas latissime excurrens faciebat. Quem, submissis contra illum cohortibus pedem pede infecutus omnibus partibus cum pepulisset, denique unum in locum compulsum vivum cepit cum suis, & provinciam tot metu grassationum liberavit.

Neque minus ipse destitit infestus Borussis esse per hyemem, & ut alia omitam, Zeitziū urbem communitam improvviso aggressus impetu expugnavit, manum hostium, quae praesidio erant, cum primoribus ducibus, vexillis, equisque militaribus cepit.

In hunc modum defensis finibus, vexatis hostibus, integrum, atque incolumem exercitum Haddichio tradidit. Hoc tempore (2) data Serbellonio fuerat Transylvania provincia, vel potius dicta; nam Viennam cum pervenisset, Augusta illum ibi diutius morari iussit plurimum ejus usque consiliis. Quem deinde in Saxoniam iterum ad Germanicum exercitum misit, & postremo non solum Germanico (3), sed alteri etiam exercitui uno tempore (4) praefecit, qui ex Austriacis copiis coactus fuerat apud Dresdam praeter Silesiacum Daunii.

Erat difficillima ratio administrandi belli: Horum enim exer-

(1) 1760. (2) 1760. (3) 1761. (4) 1762.

exercituum, quos regebat, ex Franconia per Saxoniam in Silesiam usque continuabantur præsidia, ut Daunio darènt manus; eoque magis obnoxia erant injuriæ loca tanto intervallo disjuncta, quòd ex Austriacis, quas Serbellonius habebat, legionibus, quotidie novæ cohortes accersebantur a Daunio, itaque majorem debuerat numerum in Silesiam submittere. Ea re fiebat, ut minus defendi præsidia possent adversus hostes, qui magna manu pluribus partibus conabantur petrumperè.

Hæc Serbellonius intuens rerum cura frangebatur; intelligebat diminuto tantum exercitu tam magnum spatium retineri non posse; neque, quò manus porrigeret ad nova subsidia, suppetebat nisi in sua virtute. Quam ob rem diligenter excubans, prudenterque omnia circumspiciens, ut nusquam culpa male res gereretur, tantum consilio effecit, tantumque eo valuit, ut contendente summo duce Henrico Principe non multum proficere hostes possent. Namque illum, magnitudine exercitus subito Freibergium cum occupavisset, & progredere ad alia præsidia, hic ad Chemnitiam loco pepulit, qua ex re magnam gloriam est adeptus; ad Freibergium autem sic continuit, ut illo etiam loco posset facile dejicere. Sed neque id oppidum ad rerum summam arbitrabatur pertinere, neque diu posse sine periculo retineri, ut accidit brevi post Serbellonii discessum. Namque affecta valetudine jamdiu cum postulasset ab exercitu revocari, vix denique obtinuit, & Mediolanum profectus est ad Italicas legiones, quarum illi imperium fuerat tributum. Hic propter multas ejus virtutes, cum inter suos cives magnam dignitatem viveret, amorem habuit omnium Insubrum, & Patriæ ornamentum est habitus. Atque hæc fere ejus factorum est summa.

Sed ille non magis magnitudine, & difficultate rerum gestarum, quam militaris disciplinæ fama claruit. Prudens enim rei militaris, idemque diligens erat imperii; quare ejus exercitus

circa in severitatis, & temperantiæ laudem sic venerant, ut fere valeret adagium, Serbellonianos milites a signis non dilapsuros, neque digressuros a castris, ut in proxima caperent planitie pomum licentius ex arbore. Neque id magis imperio, quam summa integritate, & æquitate obtinuit: nam non patiebatur quidquam detrahi de stipendio legionum, quod alii in rem suam conferrent. Tali modo milites dicto audientes habuit.

Idem erat non minus consilii prudens, veritatis diligens, justitia, fide magna. Hac commendatione adhibitus iudicio controversias Principum Germanicorum, neque hoc semel, composuit; diversarum Civitatum voluntates, Ducum consilia, & contraria studia conciliavit, adjunxitque rei publicæ ad administrandum bellum.

Sapiens, & gravis ejus erat agendi ratio: consilio plura quam oratione efficiebat. Parcus loquendi non copiose dicere solebat, quod non multis verbis posset; nec cum pluribus communicare, quod cum paucis sat esset. Studiosus audiendi nunquam, ne cum militibus quidem, nisi cum ad finem deductus esset sermo, dicebat, neque unquam prior, nisi cum consuleretur, dixit; ejusque erat sententia prudens, gravis, acuta in brevitate respondendi. Neque tam ejus sermo, quam totius consuetudo vitæ videbatur facta ad militarem disciplinam. Nullum in illo indicium arrogantiae, levitatis, mollitiæ; contra plurima modestiæ, constantiæ, fortitudinis, laboris patiens, abstinens, temperans, gravis, ut in illo viderentur omnes videre imaginem veterum Imperatorum, quos laboriosos, frugi, constantes legimus fuisse, & Romanam admiramur virtutem.